בשש:

EXERCITATIO THEOLOGICA

De

POTESTATE JUDICIARIA SCRIPTURÆ SACRÆ,

Quam,

Annuente divinâ gratiâ,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Admodum Reverendi, Amplissimi atque Excellentissimi

DN. JOH. ANDR. QVENSTEDT,

SS. Theol. D. & P. P. celeberrimi, &

Alumn. Elector. Ephori gravissimi,

Domini, Præceptoris atque Promotoris omni honoris cultu devenerandi,

publico examini exponit

M. NICOLAUS POLEMANNUS,

Luneburgensis,

In Auditorio Majori ad d. 27. Februarii.

WITTEBERGÆ, Typis Johannis Haken, 1668.

" "
עמי עשר

QVod Theodoretus, *opere contra varias hæreses, quod editum est cum operibus Athanasii tom. 2.* de hæreticis prudenter observavit: *si videant*, inquiens, *hæretici petitis è SSâ demonstrationibus stultitiam suam constringi, tum SSæ recusant & scopum & usum; si quando verò putant sibi favere nudum aliquod effatum à genuinâ recisum orationis serie, ad suum propositum accommodant suis confirmandis*: idem Pontificiis in more positum esse, nemini nisi qui in ipsorum scriptis hospes est, ignotum esse potest. Atque ideo SSam arguunt *imperfectionis, obscuritatis atque ambiguitatis*, ut obtineant *ipsam judicem controversiarum nec esse, nec esse posse*. Convicti n. sunt in conscientiâ se dogmata sua peculiaria ex SSâ demonstrare non posse, licet interdum *ostentandi ingenii & eruditionis causâ* cum Lutheranis *in certamen scripturarum descendant*, ut loquitur Albertus Pigghius *l. 1. de Hierarch. c. 4.* Fassus est Eccius Wilhelmo Bavariæ Duci in Comitiis Augustanis, Principum protestantium *confessionem*, Pontificiorum erroribus oppositam, *ex Scripturis sacris refutari non posse*: & apertissimè, patrum nostrorum memoriâ, in colloquio Ratisbonensi, Jesuita Tannerus, quantopere Pontificii judicium Scripturæ sacræ reformident declaravit; *petere* inquiens *à Catholicis* (Romanensibus) *ut admittant SSam solam esse judicem & unicam normam controversiarum omnium, seclusâ ecclesiæ*, (Pontificis Romani) *autoritate infallibili, quid aliud est,*

quam petere ut suâ causâ ante omnem conflictum nullâ necessitate sponte cedant. Atque hinc Albertus Pigghius l. c. svadet *hæreticos* (Lutheranos, quos illi hæreseos falsò postulant) *non esse informandos vel convincendos ex Scripturis; inde* enim *enatum esse illud, quod videamus incendium,* dominatus nempe Papalis diminutionem: quod consilium repetierunt Nihusius & Jesuita Erbermannus, causati, *se* Pontificios *in bona fidei possessione esse ecclesia catholica.* Scilicet hoc agunt Pontificii, interprete Becano *Manuali controvers. l. 1. c. 5.* circa finem: *spreto judicio SSæ in singulis controversiis eam partem quemlibet virum prudentem sequi oportere, quam ecclesia autoritas sequendam esse affirmet. Nomine a. ecclesia intelligunt Romanum Pontificem,* ut loquitur Greg. de Valentiâ *tom. 3. comm. in Thomam p. 24.* quem inepte judicē in propriâ causâ constituunt. Hunc si supremum judicium controversiarum religionis esse obtinuerint Pontificii, *omnes controversias componi necessum esse* gloriatur Tannerus *l. c.* sin minus *frustrà circa alias consensionem tentari* profitetur. Nos a. nostra facimus verba Basilii M. epist. 80. ad Eustath. *scriptura divinitùs inspirata arbiter apud nos constituatur,* διαιτησάτω ἡμῖν, *& apud quos inventa fuerint dogmata sermonibus divinis concordantia, illis omnino veritatis suffragium accedat.* Quam judiciariam potestatem SSæ in præsentiâ explicare animus est. Faveat Jehova cœptis.

THES. I.

VArias in ecclesiâ oriri controversias circa fidem atque mores, & SSa, tum V. tum N. T. & quotidiana experientia, & historiæ ecclesiasticæ monumenta docent, quæ, quomodo à primis inde ecclesiæ Christianæ incunabulis hæretici veritati bellum indixerint, exponunt. Hominis n. sibi relicti intellectui mysteria divina *stultitia* videntur *1. Cor. 2. v. 14.* judiciumq; ejus è diametro cum judicio Sp. S. in rebus fidei *pugnat Rom. 8. v. 7.* cui accedunt suggestiones diaboli ceu *patris mendacii* Joh 8, v. 44. & spiritus erroris 1. Joh. 4, 6. Unde fit, ut doctrina divinitùs patefacta non semper & ubique maneat pura & sincera, sed sæpe ab iis qui πᾶν νόημα non

capti-

captivant sub obsequium fidei 2. Cor. 10. v. 7. depravetur & corrumpatur, vel substitutis quæ omnino falsa sunt, vel admixto fermento. s. erroneis opinionibus, quod D. Paulus 2. Cor. 4, 2. vocat καπηλεύειν, sicut caupones vinum affusâ aquâ adulterant, quo sensu ista vox à LXX. Esa. 1. v. 22. adhibetur. Quæ hæreticorum contra veritatem cœlestem machinationes vel directè fundamentum salutis subruunt, vel tale quid secum trahunt, à quo evertatur. Præterea a. inter vera ecclesiæ membra sæpe controversiæ incidunt, quæ quidem articulos fidei fundamentales ac principales non convellunt, sed nonnulla tamen capita fidei minùs principalia vel ceremonias adiaphoras, vel etiam interpretationem quorundam SSæ locorum concernunt. Nam quia etiam verè pii non sunt perfectè renovati, sed in illis reliquiæ carnis remanent, non perveniunt ad exactam & perfectam mysteriorum fidei notitiam, sed in quibusdam hallucinantur & titubant: quemadmodum tempore Cypriani gravissima contentio in ecclesiâ erat, de baptisandis illis, qui ab hæreticis ad ecclesiam redibant; atque utraque dissentientium sententia diversarum synodorum decretis & approbata & improbata fuit. Conf. B. Gerhardus t. 5. LL. art. 25. § 231.

TH. II. Necessarius ergò in ecclesiâ aliquis harum controversiarum judex, qui sententiam de istis pronunciet, & partes litigantes ad concordiam reducat, cùm aliàs frustra extra forum digladiarentur. Maximè a. supremus, absolutus & independens judex requiritur, in cujus judicio sit acquiescendum. Talis a. debet esse 1. αὐτοκρατορικὸς liberrimæ & illimitatæ potestatis, ita ut nulla prorsus ab eo ad aliũ detur vel concedatur provocatio: à quo n provocare licet superiorem habeat necesse est. Ut a. αὐτοκρατορικὸς esse possit, justus & ἀπροσωπόληπτος sit oportet, ne ullo partium studio ducatur; nec non ἀναμάρτητος extra erroris aleam constitutus & infallibilis, ita ut in judicando & decidendo errare non possit, cùm controversiæ religionis circa verum & falsum versentur. 2. debet ipsi universalis in litigan-

 gan-

gantes jurisdictio competere, ut de omnibus controversiis religionis judicare queat; aliàs n. ab eo daretur provocatio. 3. denique instructus sit necesse est potentiâ coactivâ, ita ut ad Jus & fas suâ autoritate cogere litigantes possit, s. ut in latâ sententiâ acquiescant; aliàs n. nullus sperandus controversiarum finis. Coactio a. illa non est externa & civilis, quâ immorigeri per pœnas civiles ad obsequium adiguntur, sed spiritualis, quâ intellectus humanus validè convincitur, ut veritati det victus manus.

TH. III. Atque hæc requisita soli Deo competunt propter ejus independentiam, infinitam sapientiam justitiam atque potentiam: ille ergo supremus est controversiarum religionis Judex. Tribuit a. SSa hanc judiciariam potestatem per appropriationem Spiritui S. de quo Joh. 16. v. 8. dicitur, quod arguat mundum de peccato v. 13. quod ducat nos in omnẽ veritatẽ, unde & κατ' ἐξοχὴν ibidẽ appellatur πνεῦμα τῆς ἀληθείας, Joh. 16. v. 26. quod omnia nos doceat. Ad quẽ n. spectat officiũ ἐλεγκτικὸν ad illum etiam pertinet decidere controversias & errantes convincere; & cujus est docere omnia necessaria, ejusdem est falsa refellere: antecedens a. ll. cc. tribuitur Sp. S. Ergo & posterius. Hinc Act XV. v. 28. controversiæ, exortæ de servandâ lege ceremoniali, decisio disertè Sp. S. tanquam supremo judici adscribitur: *visum est Spiritui sancto & nobis* (apostolis) Nominatâ interim unâ personâ divinâ in operibus ad extra, tota sacrosancta trinitas intelligitur. Sed & Christo secundum humanam naturam ejusdem potestatis exercitium vendicatur. Joh. 5. v. 22. pater ipsi tradidit omne judicium & quidem v. 27. ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστὶ i. e. secundum humanam naturam Act. 17. v. 31. Deus judicaturus est orbem ἐν ἀνδρὶ Christo. Si v. omne judicium ei à patre datum, utique etiam judicium controversiarum religionis, & quia in novissimo die propter incredulitatem & transgressionem verbi impios judicaturus est, eosdem etiam in ecclesiâ judicabit.

TH. IV. Vocabulum autem judicis sumitur dupliciter

1. strictè

1. strictè & propriè, proprietate sermonis pro personâ sententiam ferente : atque ita Ssus judex dicitur; propriè enim sumtum vocabulum actionem aliquam infert, quæ est suppositi s. personæ. 2. latè & figuratè, nempe metonymicè pro verbo judicis omnes ejusdem decisiones continente. Istud a. verbum Dei, ab initio ecclesiæ, quæ cum condito mundi cœpit, per bis mille quadringentos & quinquaginta quatuor annos, supputante B. Chemnitio P. 1. Exam. Conc. Trident. p. 12. solâ vivâ voce sine scriptura propagatum & per manus traditum fuit; atque tunc Deus O. M. *per novas subinde & peculiares revelationes puritatem verbi sui, quando per traditiones adulterari cœperat, instauravit, confirmavit, propagavit & conservavit*, ut loquitur B. vir l. c. Post a. crescente hominum numero & deficiente eorundem longævitate, per Mosen initium scribendi verbi divini factum, ut illud incorruptè ad posteros, tanqaam columna fidei nostræ futura propagaretur. Quia v. Mosis scripta succincta erant, & multa veluti sub involucro continebant, accesserunt deinde in V. T. libri Prophetarum, in N. T. a scripta Evangelistarum & Apostolorum. Æque tn. fuit verbum Dei & pari reverentiâ amplectendum, quod vivâ primùm voce prædicatum, nunc a. in literas est redactum. Accidit n. tantùm verbo Dei, s. voce enuncietur s. in literas redigatur, & variat tantùm modus patefactionis s. proponendi, non a. forma interna & essentialis. „Sicut verbũ Dei unum est, s. cogitetur mentis meditatione, „s. canatur vocis modulatione, s. carminibus includatur metricâ concentratione, ita quoque unum utrobiq; manet s. „quis id loquatur oris pronunciatione s. manus exscriptione, „nulla hîc fit mutatio in causis, quæ una & sola rerũ diversitatem causatur, sed non nisi in modis, ut loquitur B. D. Walt herus Offic. Bibl. p. 9. Hinc illa phrasium ἰσοδυναμία: quod vaticinia prophetica V. T. in novo quandoque allegentur his verbis; ut impleretur quod dictum est per Prophetam, Matth. 1. v. 22. c. 2. v. 15. c. 4. v. 14. &c. quandoque v. hisce formulis, ut impleretur quod scriptum est Matth. 4. v. 4, 7. Marc. 15. v. 28. &c.

TH. V.

TH. V. Quamvis ergò absolutè necessarium non fuerit, verbum Dei literis consignari, quod docent tempora ante Mosen, ex hypothesi tamen *propter hominum corruptionē* id necessarium fuit, ut loquitur Chrysostomus homil. 1 in Matth quod latiùs deducit B. Chemnitius l. c. Hinc Deus Mosi disertè præcepit ùt verbum suum literis consignaret Ex. 17. v 14 dixit Dominus ad Mosen; scribe hoc memoriale in libro c. 34. v. 27. scribe tibi verba hæc, quia secundum verba ista pepigi fœdus tecum & cum filiis Israël. Idem de Prophetis constat ex Es. 8 v. 1. c 30 v. 8. Jerem. 30. v. 2. c. 36. v. 2. Ezech. 24. v 2. c 43. v. 11 Habac. 2. v 2. Sed & Evangelistas & Apostolos in N T. habuisse mandatum ad scribendum, in proclivi est ostendere; licet id Pontificii, Lindanus l. 1. panopl c 3. Bellarminus l 4. de V D. c 4 § *Secundo* Costerus in Enchiridio p. 43. Pistorius in Hodeget. p 32. & alii negent. Externum enim mandatum insinuat tum Apostolorum officium, cujus 1. Joh 1. v 3. hæ tres enumerantur partes, videre & audire, annunciare, scribere: quod vidimus & audivimus, annunciamus vobis, & hæc scribimus vobis ut gaudium vestrum sit plenum: licet illud scribendi mandatum à quibusdam tantùm executioni fuerint datum; tum speciale scribendi præceptum Johanni Apostolo divinitùs datū Apoc 1. v. 11 quod vides scribe in libro v. 19. scribe quæ vidisti c 2. v. 1. angelo Ephesinæ ecclesiæ scribe &c quod mandatum non tantùm arcanas quasdam visiones, ut Bellarminus excipit, sed & doctrinam evangelii & præcepta morum concernit. Par a. est ratio in hoc scriptionis opere Johannis & reliquorum N. T. scriptorum Cui accedit mandatum internum s. impulsus divinus, quo ad scribendum sancti Dei homines permoti fuerunt, qui illucescit ex loco 2. Tim. 3 v. 16 ubi πᾶσα γραφὴ (sc. ἱερὰ ut ex vers. præc constat, quæ comprehendit non solùm libros V. sed etiam N. T. qui illis sunt omnino homogenei, & eo tempore maximâ ex parte jam tum exstabant) θεόπνευστος dicitur. Θεοπνευστία enim ad instar mandati alicujus se habet, imò potior est mandato, „ quia per mandatu Deus hominibus saltem, inspiratione etiam per

tum per homines loquutus fuit loqui amat Dn. Præses Coll. Theol. de S. Scriptura disp. 2. Posit. 3. nota 2. *Quādo n. Deus homini doctrinā scribendam inspirat, tum ei revelat suā voluntatē. Revelatio a. voluntatis Dei, quid est aliud quam mandatum Dei? Quando n. Deus homini revelat, quod hoc vel illud velit ut ab homine fiat, tum mandat ut hoc vel illud homo faciat*: inquit D. Jacobus Martini *Tract. de SSa disp. 9* §. 148. Conf. Jer. 26. v. 5. Amos 3. v. 8. Huc facit etiam locus 2 Pet. 1. v. 21.

TH. VI. Postquam ergo Deus non amplius hodie immediatè nobiscum loquitur per revelationes atque alloquia, sed mediatè tantùm per verbum Propheticis & Apostolicis libris comprehensum: idem est dicere, Sp. S. esse supremū controversiarum judicem & Script. S. esse talem, cum judicium suum de controversiis fidei Sp. S. tantùm proferat per verbum & in verbo scripto. *Fit aliquid successu temporis ex beneplacito & decreto divino necessarium, quod prius non erat nec necessarium erat. Eâ ratione SSa primitùs non erat necessarium judicandæ veritatis divinæ medium, sed ex decreto divino successu tēporis facta est*, inquit *B. Dorschens Pentad. diss. d. 1. §. 42.* Nam post editum SSæ canonem, nullum admittimus verbum Dei non scriptū, quod à scripto diversum sit, repudiamusque traditiones ἀγράφους, quas *pari pietatis affectu cum scripto Dei verbo acceptandas* Conc. Trident. *Sess. 4.* decrevit. Neque n. ullo certo documento Pontificii illa quæ pro traditionibus venditant, â Christo & Apostolis profecta esse, docere possunt. Verbum a. Dei Prophetarum & Apostolorum scriptis „ comprehensum, controversiarū religionis omniū, inter „ eos præsertim qui Christianorum nomen sibi vendicant, ju- „ dicem, aut sane vocem judicis supremi, quem omnes a- „ gnoscere, timere ac venerari teneamur, constituimus, in- „ quiunt collocatores Lutherani *in Coll. Ratisbon th. 2.* Ideò sc. „ SSa dicitur controversiarum judex, quia est vox Sp. Si, „ sicque idem effectus tribuitur causæ principali & instru- „ mentali, quia principalis agit per instrumentalem, & in- „ strumentalis agit in virtute causæ principalis, ut loquitur B „

„ Gerhardus *Exeges. artic. de SSa* §. 455. Nam in eâ & per eam „ Deus de controversiis fidei judicium unicè plenè & per- „ spicuè exponit, & judiciariam suam in ecclesiâ potesta- „ tem exercet, controversias terminando & definiendo. „ Unde & judicium decisivum Spiritus S. Scripturæ tribui- „ tur, hæcque Metonymicè judex summus f. supremus dici- „ tur, quia est vox & sententia summi judicis; quæ sunt ver- „ ba Dn. Præsidis *Coll. Theol. de SSa disp. 8. Pos. 1. n. 3.*

TH. VII. Quando itaque Scripturam appellamus judicem sequimur stylum Sp. Si. nam Es. 2. v. 3, 4 dicitur; *de Sione exibit lex & verbum Domini de Jerusalem & judicabit* ושפט *gentes* והוכיח *arguet populos multos*. Joh. 12. v. 48. disertè verbum judicandi Dei verbo tribuitur: *qui me spernit, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum; Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die*. Hic a. sermo scriptus est, ex quo sequitur Script. S. judicare, ac per consequens judicē appellari posse; siquidem omne quod judicat & quatenus judicat, hoc ipso & eatenus judex est dicique potest. Atque ipsa SSa eadem judicandi verba & Deo & SSæ tribuit; sic Rom. 8. v. 32. dicitur; conclusit DEUS omnia sub incredulitate: sed Gal. 3. v. 22. *concludit SSa omnia sub peccato*. Sic Joh. 16. v. 8. *Sp. S. arguet mundum de peccato* Rom. 3. v. 19. *quæcunque lex loquitur iis qui in lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur, & fiat reus totus mundus coram DEO*. Confer etiam cum loco Joh. 12 v. 48. „ locum Joh. 5. v. 22. Per Christum Deus Pater judicaturus „ est orbem injustitiâ. Judicat itaq; Sp. S. πρώτως SSa v. καταγνωστῶς; diciturque aliàs judex definitivus directivus & normalis. Frustra a. inde Becanus opusc. de jud. controvers. p. 10. nos reprehendit, quod distinctas quæstiones de normâ & judice controversiarum confundamus. Nam SSa & norma & judex controversiarum religionis est, sed diverso respectu, norma est respectu judicis inferioris f. ministerialis ecclesiæ à supremo judice ipsi præscripta, quam illa unicè respicere, & juxta illam de controversis dogmatibus, sententiam ferre debet: judex v. vocatur Scriptura S. quia est vox judiciaria Sp. S. qui per eam judicat, decidit & definit controversias.

Hinc

Hinc ruit ratiocinatio Bellarmini *l. 3. de V. D. c. 9. in omni bene constitutâ republ. lex & judex sunt distinctae res; lex n. docet quid agendum, judex legem interpretatur, & secundum eam homines dirigit:* nec non Remonstrantium *Apol p. 30. per se absurdum esse* concludentiū *SSam controversiarum judicem dici, cum lex & judex distincta sint.* Est n. SSa lex respectu ecclesiae, sed & vox summi judicis, qui loquitur in SSa & per SSam, ut scriptura loquens sit ipse Sp. S. loquens & judicans.

TH. VIII. Scripturae a. nomine non tam formale externum, s. signa h. e. apices literarum, quibus divina revelatio est conscripta, quam ipsum materiale, adeoque illud ipsum quod scribendo notatur ac significatur, intelliginuis. Denotat verò vocabulum SSae quandoque omnes libros in codice Biblico contentos, quemadmodum Hieronymus *praef. in Judith* scribit *Nicenam Synodum librum illum in SSis numerasse*, & Concilium Toletanum 2. *Can.* 1. librum sapientiae SSam nominat. Continet n. codex Biblicus etiam libros apocryphos, ἀπὸ τοῦ ἀποκρύπτειν q. d. absconditos, vel *quod occulta eorum origo non claruit illis, quorum testificatione verarum scripturarum autoritas ad nos pervenit*, quae ratio appellationis traditur ab Augustino *l. 11. contra Faustum c. 2. Vel quod publicè in ecclesiâ ad autoritatem ecclesiasticorum dogmatum comprobandam non leguntur, sed ad morum duntaxat aedificationem*; quae ratio traditur ab Hieronymo *prol. super Proverb. Salom.* Eusebius istos vocat scripta ἀμφίλεκτα καὶ ἀντιλεγόμενα. Atque hos judicem controversiarum religionis esse non posse ultrò patet, cum contineant multa falsa & canonicis Scripturis repugnantia, ut de singulis demonstravit B. Gerhardus *Exeg. Artic. 1 c. 8.* Nobis ergo SSa hîc accipitur pro solis libris canonicis, non laxè sic dictis à canone ecclesiasticae lectionis, uti concil. Carthag. III. *can. 47.* & Augustinus *l. 2. contra epist. Gaudent. c. 23.* omnes libros Biblicos sub hac latitudine canoni includūt; sed strictè, à canone fidei cōfirmationis, quoniam sunt instar exactissimae trutinae atque regulae, secundū „ quam de reliquis omnium vel fidelium vel infideliū scri- „

ptis liberè judicatur; quæ ſunt verba Chryſoſtomi *homil. 13. in 2. Cor.*

TH. IX. Sunt a. iſti qui in V. T. à Prophetis linguâ Ebræâ & ex parte Chaldæâ ſunt conſcripti, & eccleſiæ Judaicæ commendati; Judæis quippe Rom. 3. v. 2. concredita dicuntur τὰ λόγια τοῦ θεοῦ: & diſpeſcuntur ab illis in tres claſſes, quarũ prima complectitur תורה ſ. legem; altera נביאים ſ. Prophetas, qui rurſus diſtingvuntur in ראשונים priores & אחרונים poſteriores: tertia denique כתובים ſub intellige ברוח הקודש i. e. libros ſcriptos per Sp. S, quod ſc. Scripti fuerint à viris, qui Prophetico quidem Spiritu præditi erant, non a. officio Prophetico fungebantur, quæ generalis τριχοτομικὴ diſpoſitio, reſectis Judæorum erroribꝰ in partiali recenſione, autorem Esdram agnoſcere videtur, ex Luc. 24. v. 4. ubi per Pſalmos Synecdochicè cæteri libri hagiographi intelliguntur: Conf. præter alios Laur. Fabritium *pec. inſt. de partit. cod. Ebraici.* Ratione N. T. a omnes illi libri, qui jam in codice Biblico continentur, canonici ſunt, & ab omnibus Chriſtianis pro θεοπνεύστοις ſuſcipiuntur, poſtquam ſuppoſititii jamdudum reſecti ſunt. Alii tn. libri N. T. à Theologis qvibusdam dicuntur canonici primi, alii ſecundi ordinis: illi ſunt de quorum autoribus vel auctoritate nunquam fuit in eccleſiâ dubitatum, ſed conſentiente omnium Chriſtianorum ſuffragio pro Canonicis & divinis ſemper fuerunt habiti: hi v. de quorum autoribus à quibusdã in Eccleſiâ aliquando fuit dubitatum, atque ſunt epiſtola ad Ebræos, Jacobi, Judæ, poſterior Petri, ſecunda & tertia Johannis, Apocalypſis. V. B. Gerhardus *Exeg. L. 1. c. 9.*

TH. X. Poteſtas itaque iſta judiciaria SSæ, competit libris canonicis omnibus, qui in canone jam conſummato exhibentur, & quidem collectim ſumtis neq; hic ullum diſcrimẽ eſt T. V. atque N, quales finxere Anabaptiſtæ in coll. Franckent. libros V. T. non aliter in diſputationem fidei admittendos cenſentes quam quatenus cũ N. T. concordant, quorum veſtigiis inſiſtunt Photiniani v. Th. Nicolai, Oſtorodus, Smalzius,

zius, citati à B. Gerhardo l. c. § 172. v. 2. Tim. 3. v. 16. Joh. 5. v. 39. Luc. 16. v. 29. Eph. 2. v. 20. Quamvis v. singulis temporibus, „ atque ætatibus pro statu ecclesiæ illorum temporū sufficientē „ canonem exhibuerint illi libri qui tū exstiterunt, ita ut soli „ quinq; libri Mosis, nondū extantibus aliis SSæ libris, fuerint „ perfectus canon, ut loquitur B. Gerhardus l. c. § 379. cū divi- „ na revelatio in illis libris respectu illius temporis perfectè fuerit exposita, adeoq; sufficiētes fuerint ad cōtroversias tū exortas definiendas, accedentibus maximè revelationibus & alloquiis divinis Num. 12. v. 6. Deut. 33. v. 8. quorum beneficio illa quæ obscuriùs in illis continebantur, explicari potuerunt, placuit tn. Deo ad uberiorem ejusdem doctrinæ explicationem subinde etiam alios libros Canonicos reliquis addere. Singuli n. libri Canonici singulæ SSæ perfectiones sunt, adeò, ut quo plures hujusmodi libri procedente tempore fuerint adjecti, eo uberiorē & clariorem SSam reddiderint. Non tamen omnes ad perficiendam Scripturam æque necessarii sunt, ac partes integrales ad complendum corpus aliquod naturale v. g. animalis: illæ n. per naturam numero & ratione definitæ sunt; quo fit ut nulla earum ne pars quidem minùs principalis abesse possit, quin mutilum sit animal atque imperfectum. At verò non æque determinatum est, quot & quibus libris præcisè Scripturam constare oporteat, sed eorum tùm numerus tùm ratio unicè ab arbitrio Sp. S. pendet. Necessaria interim SSæ perfectio, quæ, ut aliorum omnium, quæ tota propter certum aliquem finem sunt, ex fine SSæ æstimanda est, qui est ut per illam ad salutem æternam perducamur Joh. 20. v. 30. 2. Tim. 3. v. 15. nunquam canoni etiam nondum consummato defuit, adeoque judex etiam semper esse potuit atque fuit.

TH. XI. Quos tn. libros θεοπνεύστους Deus O. M. eo fine literis consignari voluit, ut essent canonici i. e. norma & judex controversiarum religionis, eorum periisse ullum asserendum haud videtur S. Augustinus l. 18. de Civ. Dei c. 38. hac de re ita disserit. In ipsâ, inquit, historiâ Regum Judæ & Regum „ Israël, quæ res gestas continet, de quibus Scripturæ canoni- „

,, nec credimus, commemerantur plurima, quæ ibi non explicantur, & in libris aliis inveniri dicuntur, quos Prophetæ scripserunt, & alicubi eorum quoque Prophetarum nomina non tacentur, nec tn. inveniuntur in canone, quem populus Dei recepit, cujus rei fateor causa me latet, ns. quod ego existimo, etiam ipsos, quibus ea quæ in autoritate religionis esse deberent, sanctus ubique Spiritus revelabat, sicut homines historicâ diligentia, alia sicut Prophetas divinâ inspiratione scribere potuisse, atque hæc ita fuisse distincta, ut illa tam quam ipsis, ista v. Deo tanquam per ipsos loqventi judicarentur esse tribuenda, ac si illa pertinerent ad ubertatem cognitionis hæc ad religionis autoritatem, in quâ autoritate canon custoditur. Cui sententiæ subscribit B. Gerhardus l. c. §. 110. Dn. D. Calovius a. Syst. Th. t. 1. p. 719. distinguit inter libros Sacros s. divinos & canonicos: Dubium sane non est, inquit, libros sacros ac divinos nonnullos interiisse, quo de intelligendus Chrysostomus hom. 9. in Matth. canonica v. quod attinet scripta, vel τοπικῶς dicuntur ea quæ canonis usum præstare potuere, ac ad tempus fortasse canonis instar, dum supererant, fuere, vel ἐνδικῶς, quæ ad canonem ecclesiæ totius perpetuum & catholicum pertinent. Librum a. canonicum nullum exquisitè ita dictum intercidisse patet ex consideratione divinæ providentiæ, quæ periclitaretur, si ullus librorum canoni perpetuo ecclesiæ destinatorum interciderit: si quidē Deus hoc ipso intentione suâ excidisset, dum ordinarit librū in usum ecclesiæ canonicum perpetuum, nec tamen eundem conservarit, sed interire passus sit, sunt verba Dn. D. Calovii l. c. Conf. Matth. 5. v. 18 Luc. 16. v. 17. Accedit asservatio & collectio librorum canonicorum in latere arcæ fœderis Deut. 31. v. 24. seq. 1. Sam. 10. v. 25. 2. Par. 34. v. 14.

TH. XII. Denique controversiæ religionis etiam distingvendæ sunt: aliæ n. concernunt articulos fidei ad salutem scitu necessarios, aliæ magis sunt circa fidem quam de fide, quas nuncupamus annatas, juxta enatas s. Scholasticas, quarum notitia infallibilis ad salutem necessaria non est, sed citra dispen-

dium

dium salutis in utramq; partem disceptari possunt. Præterea etiam quædam controversiæ religionis ad mores s. legem moralem pertinent, qualis controversia intercessit Catholicis cum Simone Mago, qui detestandam turpitudinem introduxit indifferenter utendi fœminis, teste Augustino de hæresibus c. 1. quod etiam post docuerunt Nicolaitæ, Epiph. hæres. 25. quædam ad ritus & ceremonias adiaphoras, circa quas ecclesia liberam habet potestatem, ns. quod, quales in genere esse debeant, in SSis tradatur 1.Cor 14.v.40.v.26 c.10.v.32., concernunt. Non dicimus SSæ judicium supremum & infallibile ad omnes etiam minutissimas quæstiones Theologorum se extendere, quia de istis omnibus SSa agere noluit, ne nimiâ multitudine credentes obrueret. Joh.21.v.25. electa n. sunt quæ scriberentur quæ „ saluti credentium sufficere visa sunt, ut loquitur Augustinus tr. „ 49. in Johannem, maximè cùm quædam earum sint inutiles imò perniciosæ, quas s. otiosi & ingeniosi inani curiositate, s. inquieti & ambitiosi pravâ præsumtione disputandas sibi sumserunt, quarum quæstionum magna apud Scholasticos Doctores reperitur seges atque farrago. Sed constituimus SSam, judicem supremum omnium illarum controversiarum, quæ ab alterutra parte vel immediatè articulum aliquem fidei subvertunt, s. ea negant aut ponunt è quibus per certam consequentiam evertatur, s. denique mores & vitam Christianorum labefactant. Si quæ tn. aliæ controversiæ disceptantur, quorum notitia infallibilis quidem ex se non requiritur; in SSâ tamen perspicuè decisæ sunt, nec illæ à judicio SSæ sunt excludendæ, cum SSa quanta quanta est, vox sit judicis supremi.

TH. XIII. Et quanquam SSæ finis primarius ex intentione Dei est, ut norma & judex eorum sit, quæ ad religionem pertinent, in iis tamen, quæ ad illam præcisè non spectant, ut Physicis, Mathematicis aliisque, quæ sacer codex exponit, judicium SSæ etiam audiendum est. Nec n. approbanda illorum sententia, qui docent, in talibus Scriptores S. ceu disciplinarũ istarum ignaros ex opinione vulgari locutos esse, quemadmodum illi qui terræ motum defendunt, cùm argumenta è SSis

petita

960.

petita aliter declinare nequeant ad hoc χρησφύγετον se recipere solent: v. Barenzan in Uranoscop. p. 143. similis ferè est opinio „ Socinianorũ, quâ Christum & Apostolos cautos fuisse quo„dammodo hominum opinionibus, quæ tunc plerumque ur„gebant se accommodare, dicunt Vid. Socinus de autorit. Script. p. 14. & 77. itemque opinio Franc. Junii l. 1. parallel. „ Sacr. parall. 60. Scripturam non rarò eo sermonum genere u„ti modestâ concessione, publicum errorem jam diu invetera„tũ perferendo, ob majus malum vitandum, quia fidei certi„tudo non convellatur unius aut alterius historiæ, sermonis „ aut vocis errore, nisi contra fidei Christianæ fundamentum veniat. Sed admisso semel hoc Pyrrhonismo in illis quæ divinitùs revelata sunt, omnia revelata, etiam quæ ad fidem perti„nent, reddentur dubitationi obnoxia. Admisso in tantum „ autoritatis fastigium aliquo mendacio (vel dubio nec infalli„biliter vero) nulla particula horum librorum manebit, quæ „ non possit in dubium vocari: ait Augustinus epist. 8. ad Hi„ eron.

Th. XIV. Atque sic legitimè formato statu controversiæ probamus thesin orthodoxam I. ex disertis SSæ locis, ubi hæc „ potestas judiciaria SSæ tribuitur Joh. 12. v. 48. Qui spernit „ me & nõ accipit verba mea, habet qui judicet eum, sermo quẽ „ locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. Per τὸν λόγον non verbum οὐσιώδες καὶ ὑποστατικὸν ipsum filium Dei cum Cyrillo l. 8. in Joh. c. 24. & Augustino l. 1. de Trinit. c. 12. intelligendum, sed potiùs λόγον προφορικὸν cum Athanasio Orat. 5. contra Arrianos t. 1. p. 312. ex addito ὃν ἐλάλησα patet, unde Syrus emphaticè reddidit ܡܡܠܠܐ ܕܡܠܠܬ loquela quam locutus sum. Per sermonem a. Christi intelligenda sunt non tantum illa verba quæ Christus immediatè in diebus carnis suæ protulit, quæque ab Evangelistis annotata exstant, d. etiam ea quæ per Prophetas & Apostolos Sp. suo S. φαρμένους protulit, quæ cum prioribus sunt prorsus homogenea per ampliationem ob rerum similitudinem, cum talia sine

subje-

subjecti, qualia permittuntur esse à prædicatis, de quâ ampliatione conferatur Franc. Svarez l.6. de legibus c. 2. Vocabulum judicandi Cajetanus exponit de vi obligandi ad condemnationem; quod sermo Christi s. doctrina Evangelica eo „ modo dicatur judicatura infideles, quo lex dicitur aliquem „ judicare & condemnare, quæ vim habens obligandi, pœnam „ transgressoribus constituit. Rupertus a. & Albertus in h. l. „ statuunt sermonem Christi judicare per modum testis & accusatoris. Quæ omnia etsi vera sint de sermone Christi, propriè tamen & principaliter ideo judicandi partes sermoni suo Christus tribuit, quia est vox judicis summi per hunc sermonem nobiscum loquentis; unde notanter additur *quem locutus sum*. Hinc ita inferimus: Quæ s. scriptura continet vocem summi judicis controversiarum religionis, illa modo supra explicato est supremus judex. Atqui de SSâ verum prius, quia vox s. verba Christi, qui est summus judex, in SSa continentur. Ergò etiam posterius. Unde facilè patet, quod ignorationem elenchi committat Barradius t. 3. l.8. c. 1. p. 462. excipiens, verbum judicandi hîc non significare judicis personâ „ agere, sed materiam judicandi & damnandi præbere, cum „ suprà notaverimus SSam non aliter dici nobis judicem, quàm quatenus est vox judicis controversiarum religionis.

TH. XV. Gretserus autem in colloqv. Ratisbon. hoc testimonium ita eludere conatus est, dum causatur *loqui hîc Christum de extremo judicio*. Sed illud non officit; nam si sermoni Christi s. SSæ competit judicium condemnationis & absolutionis in magno illo censorio die, utique etiam judicium discretionis de fidei controversiis in his terris ferendum rectè illi tribuitur. Judicabuntur n. in novissimo die impii ob transgressionem verbi, & in specie hæretici, ob ejus adulterationem: unde à parte rei unum idemque est judicium Dei, quod in hoc seculo inchoatur & in novissimo die consummabitur. Sed & in præsenti sermoni Christi judicium tribuitur, cùm dicit sermo quem locutus sum, non quem sum locuturus, ne quis tantùm illud intelligeret de verbis Christi in judicio extremo demum

proferendis Matth. 25. v. 4. & præmittit; qui non accipit ver-
„ba mea habet qui judicet eum; nam qui non credit jam judicatus est Joh. 3 v. 18.

„ TH. XVI. Illustris etiam est locus Ebr. IV. v. 12. *Vivus* „ est sermo Dei & efficax -- καὶ κριτικὸς & discretor cogitatio„ nū & intentionum cordis.] Etsi a. per λόγον τοῦ Θεοῦ multi ex patribus λόγον ὑποστατικὸν filium Dei intelligant, rectiùs tamen λόγον προφορικὸν s. verbum Dei revelatum & scriptum, cum aliis è Patribus quos seqvuntur Interpretum nostrorum plerique, denotari existimamus; usurpatio n. vocis τοῦ λόγου pro filio Dei soli Johanni Apostolo peculiaris est, observante Maldonato tom. 2. in Johann. c. 1. p. 193 Unde est quod Syrus nomen ܡܠܬܐ hîc non construat ut masculinum, ut aliâs facere solet, quandocunq; in scriptis Johannis pro λόγῳ ὑποστατικῷ capitur, sed ut fœmininum, sub quâ constructione ipsi semper notat λόγον προφορικὸν. Prædicata etiam quæ hîc coacervantur, commodissimè λόγῳ Dei προφορικῷ revelato conveniunt, & alibi à Sp. S. ipsi adsignantur, ut demonstrat B. Gerhardus Comm. in h. l. Dicitur sermo Dei κριτικὸς judicativus i. e. ad judicem spectans, denotatque hæc vox id per quod ac secundum quod judex suum instituere solet judicium. Non sa vel hîc vel unquam alibi Sp. S. verbum Dei κριτὴν vocat, cùm sit officii nomen & propriè ac strictè loquendo non nisi personæ competat. Versari v. dicitur δύναμις illa κριτικὴ verbi divini circa ἐνθυμήσεις καὶ ἐννοίας τῆς καρδίας indefinitè, quod universaliter meritò accipimus, ut istæ etiam cogitationes, quæ res fidei & controversias religionis concernunt comprehendantur. Argumentamur ergo in h. m. Cui tribuitur judicium omnium intimarum cogitationum & penetralium cordis humani, illud etiam judicat de controversiis fidei quæ ab hominibus sunt excogitatæ & intentæ. Sed verbo Dei tale judicium tribuitur E. Consequentia in majore est firma: si enim judicat internas cogitationes quas homines concipiunt de controversiis fidei, multo magis judicabit contro-

ver-

versias fidei ex cogitatis cordis jam exortas & per externos actus manifestatas. Conferantur etiam alia loca Psalm. 149. v. 9. Es. 11. v. 4. Rom. 11. v. 11.

TH. XVII. II. Secundum argumentum petimus ab exemplis Argumentamur. Quod pro voce supremi judicis directivâ habuerunt pii V. T. & in Novo Christus & Apostoli, idem nos pro voce supremi judicis directivâ agnoscere tenemur. Atqui Scram S. pro voce supremi judicis directivâ habuerunt E. Major extra controversiam posita. Minor a. ex clarissimis testimoniis elucescit. De piis V. T. testis est locus. 2. Paralip. 17. v. 7. s. ubi de Josaphato memoratur, quod cum impietatem hæresesque in regno suo ortas animadverteret, singulis civitatibus tribus Judæ præfecerit sacrarum literarum peritos, qui juxta librum legis populum erudirent & de erroribus monerent. Cujus laudatis vestigiis institerunt alii deinde Reges consequentes Ezechias 2. Par. 31. v. 20, 21. Josias 2. Paral. 34. v. 30. s. Idem post captivitatem Babylonicam studium ursisse legitur Esdras Esd. 7. v. 10.

TH. XVIII. Christum porro ad scriptum Dei verbum in controversiis fidei provocasse docet S. Johannes c. 5. v. 39. ubi disertè Christus Judæos remittit ad Scripturam, *scrutamini* inquiens *scripturas*; qua verba ipse Martinus Becanus Man. l. 1. c. 5 p. 128. sic παραφράζει: si vultis certò cognoscere, me esse „ Messiam à Deo promissum, de quo Moses & Prophetæ scri- „ pserunt, non tantum debetis legere scripturas quoad exter- „ nam literam, sed multo magis scrutari internum sensum & „ Spiritum. Ipsi Corn. Jansenius & Barradius Pontificii in h. l. „ agnoscunt, quod Christus Mosen h. e. Mosaicam Scripturam hîc faciat istius controversiæ judicem. Excepit tamen Greiserus in colloquio Ratisbonensi disparem esse rationem nostro- „ rum temporum, quia Judæi se condemnatos esse ex parte Chri „ sti scire potuerint. Sed rectè B. Hunnius reposuit Christum „ in eâ disputatione cum Judæis sustinuisse officium partis non „ judicis, & verò judicem nominasse Mosen, qui tùm ampliùs non vivebat, nec loquebatur nisi per sua scripta. Becanus a. l. c.

 p. 168.

„ p. 168 Objicit Christum remisisse Judæos non ad solam Scri-
„ pturam, sed primò ad testimonium Johannis Baptistæ, dein-
„ de ad testimonium miraculorum, post ad testimonium Dei
„ patris, denique ut omnia experiretur ad testimonium Scri-
„ pturarum. Sed aberrat Jesuita à statu controversiæ. Nos n. soliciti sumus de ordinario judice controversiarum in ecclesiâ, postquam Deus non amplius immediatè nobiscum loquitur, neque per Prophetas extraordinariis donis instructos aut per miracula nos docere vult; habemus n. βεβαιότερον τὸν λόγον,
„ miraculosâ sc. Christi transfiguratione, quâ firmior docetur
„ esse sermo Propheticus, cùm miracula non tam solidum fidei
„ fundamentum præbeant quam ipsum Dei verbum, ut loquitur B. Glass. l.3.tr.1.Can. 18.P.S.Quando a. ad solam Scripturam provocamus excludimus traditiones & judicium infallibile, quod Pontificii fingunt Pontificis Romani.

Th. XIX. Idem à Christo aliàs factitatum Matth. 19. v. 4. in quæstione de divortio provocat ad scriptum verbum *Non legistis* &c, Matth. 22. v. 29. articulum resurrectionis contra Sadducæo demonstrat ex Scripturis. *Erratis* inquit *nescientes Scripturas* v. 3. de resurrectione mortuorum *non legistis quod dictum est vobis à Deo* Luc. 10. v. 26. ad quæstionem de viâ consequendæ salutis respondet *quomodo scriptum est in lege, quomodo legis*? Exemplo & vestigiis Christi fideliter institere Apostoli, Act. 3. v. 20. provocat Petrus ad oraculum Mosaicum Act. 13 v. 33. s. Paulus resurrectionem Christi contra Judæos ex Scripturis demonstrat, Act. 18. v. 28. Apollo. εὐτόνως acriter *refellit Judæos & probat per Scripturas Jesum esse Christum*. Idem pòst sedulò primitivæ ecclesiæ Patres observarunt; unde Theodoretus opere contra varias hæreses, quod editum est cum operibus Athanasii t. 2. cum dixisset eos qui vetant ex SSis inquisitiones fieri, hoc ipso testari se suo dogmati non satis fidere, subjicit, Catholicorum
„ mentem exprimens. Nos a. confisi mysterii veritate auxili-
„ oque ejus qui mentiri non potest, dicentis: quicunque quærit
„ inveniet, & quærimus ut oportet & invenimus, eaque profe-
„ rimus cum demonstratione. Augustinus l, 2. de nupt. & con-

cup.

„ cup. c. 31. ista controversia judicem requirit, at quis judex
„ erit? judicet Christus, judicet cum illo & Apostolus, quia in
„ Apostolo ipse loquitur Christus.

TH. XX. Elegans cumprimis est locus Optati Milevitani l. 5 contra Parmen. qui præsens negotium non parum illustrabit: „Inter *licet* vestrum & *non licet* nostrum „nutant & remigant animæ populorum. Nemo vobis cre„dat, nemo nobis, omnes contentiosi homines sumus. „Quærendi sunt aliqui hujus controversiæ judices. Si Chri„stiani, de utrâque parte dari non possunt, quia studiis ve„ritas impeditur. De foris quærendus est judex. Si paga„nus, non potest nosse Christiana secreta. Si Judæus, ini„micus est Christiani baptismatis. Ergò in terris de hac re „nullum poterit reperiri judicium. De cœlo quærendus „est judex, sed ut quid pulsamus ad cœlum, cùm habeamus „hic in evangelio? Testamentum, inquam, quia hoc loco „rectè possunt terrena cœlestibus comparari. Tale est, „quod quivis hominum habens numerosos liberos, his quã„diu pater præsens est, ipse imperat singulis, non est adhuc „necessarium Testamentum. Sic & Christus, quamdiu præ„sens in terris fuit (quamvis nec modò desit) pro tempore „quicquid necessarium erat Apostolis imperavit. Sed quo„modo terrenus pater, cùm se in confinio senserit mortis, „timens, ne post mortem suam ruptâ pace litigent fratres, „adhibitis testibus voluntatem suam de pectore morituro „transfert in tabulas diu duraturas, & si fuerit inter fratres „contentio nata, non itur ad tumulum, sed quæritur testa„mentum, & qui in tumulo quiescit loquitur vivus. Is cujus „est testamentum, in cœlo est. Ergo voluntas ejus velut in „testamento sic in evangelio inquiratur, etenim præsentia „quæ modò facitis, jam futura conspexerat Christus. Plura in præsentiâ pro confirmandâ sententiâ nostra adferre supersedemus.

TH. XXI. Consistit autem exercitium hujus potestatis judiciariæ SSæ in tribus actibus, quorum primus est interpretatio: ad judicis enim officium spectat legem s. sententiam suam scripto comprehensam interpretari & verum ejus sensum exponere. Equidem quædam Scripturæ S. sententiæ, præsertim quæ dogmata fidei & præcepta morum proponunt, tam apertæ sunt & dilucidæ, ut sine ulteriore interpretatione sensum Sp S. ultrò reddant. Obscuriores v. quæ explicatione indigent per alias Scripturæ sententias clariores explicari possunt & debent, atque ita locorum obscurorum interpretationem Scriptura ipsa largitur factâ eorundem cum clarioribus collatione Et ideo Scriptura rectè dicitur „ semetipsâ interpretari. Cõvenit sc. inter nos & adversarios, „ scribit Bellarminus l. 4. de V. D. c. 3. Scripturas intelligi „ debere eo spiritu quo factæ sunt, hoc est Sp. S. juxta 2. Pet. 1. v. 20. Vel ergò haurienda SSæ interpretatio ex immediatâ Sp. S. inspiratione & revelatione, vel ex ipsâ Scripturâ. Prior v. modus utpote extraordinarius in ecclesiâ non ampliùs datur; adeoq; manet posterior, ut scilicet ex SSâ, in quâ & per quam Sp. S nobiscum loquitur, omnis ejusdem legitima & solida interpretatio petatur. Frustra objicit Bellarminus l. 3 de V D c. 3. *SSam varios sensus recipere* : nam de literali sensu, qui est is, qui intenditur â Sp. S. s. proponatur verbis propriis s. figuratis, falsum id est: sensus n. est forma interna & essentialis verborum, quæ non nisi unica esse potest. Et licet ab hæreticis Scriptura in varios sensus detorqueatur, ex accidenti tamen illud est, nec propterea desinit unus proprius & perspicuus Scripturæ sensus, quem Sp. S. intendit Sensum a. allegoricum non parit interpretatio sed applicatio verborum SSæ.

TH. XXII. Alter actus judiciariæ potestatis Scripturæ S est decisio controversiarum. Nam cum SSa sit immediata vox Sp S. non potest in controversiis fidei habere superiorẽ, ad quem â judicio SSæ provocari possit, ita ut in hujus sententia nõ sit acquiescendũ. Hîc objicit Becanus Manuali p 125.

SSam

SSam non posse ita pronuntiare sententiâ, ut uterq; litigan-„
tium clarè intelligat, quænâ sit sententia judicis: quod &„
objecit Gretserus in colloquio Ratisb. non sine horrendâ in-
sultatione facti Sp. Sancto. Sed quidni possit? cum Scriptura S.
sit perspicua in illis quæ ad salutem creditu sunt necessaria
Deut. 30. v. 11. & 12. 2. Pet. 1. v. 19. quod ut fateretur, Costerû vis
veritatis adegit Enchir. c. 1. p. 48. Non inficiamur, inquit;
præcipua illa fidei capita quæ omnibus Christianis cognitu„
ad salutem sunt necessaria, perspicuè satis Apostolicis scri-„
ptis comprehensa esse, cujusmodi sunt mysterium Sanctis-„
simæ trinitatis & incarnationis filii Dei, historia passionis„
dominicæ, remissio peccatorum & promissio vitæ æternæ.„
Instat Greg. de Valentia l. 5. Analys. c. 2. Sententia Scripturæ„
de maximis etiam fidei quæstionibus ita obscura & diffici-„
lis est ad intelligendû, ut homines etiam benè literati, ne-„
dum vulgares fideles in ejus inquisitione facile hallu-„
cinentur atque ab eâ aberrent. Verum maximas fidei quæsti-
ones in quibusdam Scripturæ locis obscurius proponi non
negamus, interim, quæ in uno loco dicuntur obscuriùs, alibi
explicantur manifestiùs; at quæ in scripturâ nusquam diser-
tè & perspicuè exposita habentur, eorum cognitionem ad sa-
lutem esse necessariam docere nequeunt Pontificii. Adden-
dum etiam, requiri à nobis animum à præconceptis opinio-
nibus vacuum, nec excludi pium studium in lectione & me-
ditatione SSæ adhibendum, nec adminicula ad SSæ inter-
pretationem necessaria. Atque hinc etiam facile liquet quan-
tum ponderis insit huic exceptioni Becani l. c. Si sufficiens„
esset Scripturæ judiciû, unde fieret, quod nondum conveni-„
re potuerit inter eos, qui unicam Scripturâ pro normâ &„
judice agnoscant. Nam scriptura ex suâ naturâ & quantû„
est in se ad controversias dirimendas sufficiens est atque i-
donea, vitio tamen humanæ improbitatis & ex parte homi-
num contingit, ut effectus actu non semper nec apud omnes
sequatur. Præterea vero contra decisionem SSæ objicit idê
Becanus p. 135. multas esse controversias circa fidem & reli-
gio-

„ gionem, quarum vel nulla fit mentio in ſcriptura vel cer „ tè non ſufficiens ad hoc, ut SSa de illis ſententiam ferre poſ- „ ſit. Sed abutitur vocabulo controverſiarum circa fidem & religionem; dum omnes illas quæſtiones ſub ejus ambitu comprehendit, quæ ullo modo ſ. directè ſ. indirectè ab religionem pertinent, de quibus omnibus SSam agere noluiſſe ſupra monuimus. 5. Quorundam tamen exemplorum quæ affer decisionem non tantùm noſtros Theologos ſed etiam Pontificios ex SSâ petere, ignotum illi eſſe non debuit. Meminerimus a. perinde eſſe *ea quæ ex Scripturis colliguntur, atq; ea quæ ſcribuntur* ut loquitur Nazianzenus l.5. de Theologiâ, cùm *veritas connexionum in rerum naturâ perpetua atq; divinitùs inſtituta atq; ab hominibus animadverſa* ſit, docente Auguſtino l. 2. de Doctr. Chriſt. c.31. Licet fruſtra obnitantur recentiores quidam Pontificii præeunte Franc. Veronio, quemadmodum Fratres Walenburgii Motivo primo ad Erneſtum Haſsiæ Landgravium c.6. audacter & inſulsè profitentur: meritò ſe rejicere probationes Proteſtantium per inter- „ pretationes, & conſeqnentias ex verbo Dei ſ. verè ſ. falsò „ deductas, tanquam inſufficientes probando alicui fidei ar- „ ticulo.

TH. XXIII. Tertius actus eſt coactio, quam ſupra in judice Controverſiarum religionis ſummo requirebamus. Coactio a. illa non eſt externa & civilis quâ cogantur immorigeri ad obſequium per pœnas civiles, ſed eſt ſpiritualis & regno gratiæ proportionata. Non equidem cogit SSa externâ quidam coactione corporis, ſed internâ quâdam tractione mentis, non qnidem irreſiſtibili, ut fingunt Calviniani, ſed tali, quâ Sp. S. per verbum homines in conſcientiis ſuis adeò efficaciter & validè convincit de cœleſti veritate ut ſine omni formidine contrarii aſſentiantur, & victas qs manus dent. „ Remonſtrantes illam negant & Deum in verbo ſuo nor- „ mam tantùm dirigentem ſeu directivè duntaxat non etiam „ coactivè judicantem relinquere voluiſſe aſſerunt, Confeſſ. c.1. § 10. Sed vendicatur hæc vis SSæ Matth. 7. v. 29, Marc. 1.

v.22 Luc 4. v.32 uti Christus docuisse dicitur *ut habens autoritatem*, ὡς ἐξουσίαν ἔχων exerens suam potestatem; Sic Actor. 6. Stephanus ex solis scripturis disputabat, & tamen vers. 10 dicitur, quod non potuerint resistere sapientiæ & Spiritui per quem loquebatur, convicti sc in intellectu de veritate cœlesti, Act. 2. v. 37. ii quibus Petrus prolixè cócionatus erat de Christi morte & resurrectione compuncti memorantur corde. Addatur Sozomenus l. 1. c. 17. Gretserus a. Jesuita in Coll. Ratisb. non sine blasphemia hanc vim „coactivam derogavit Sp. S. in SSis loquenti: Non potest „inquiens Sp. S dicere sententiam condemnatoriam per „hunc librum; adsit, adsit, adsit & condemnet me. Quibus verbis ille non aliter insultat Sp. S, quam Elias olim Pseudoprophetarum DIs. Verum non consistit illa in hæreticorum obsequio, adeoque in actuali confessione impietatis suæ: fieri n. potest ut quis intelligat se â supremo judice damnatū esse, & tn. in judicio illo non acquiescat; sed consistit in demonstratione errorum sufficienti & obligatione in conscientiâ ut huic aut illi controversiæ parti penes quam est veritas cœlestis, subscribamus. Quia namque vis illa coactiva non est irrefragabilis ac irresistibilis, mirum non est, quod impii & hæretici illi resistant, ac judicis hujus sententiam definitivam, non agnoscant, causa v. ejus residet non in impotentiâ judicis, sed in malitiâ errantium; erit tamen cum effugere vim ejus non poterunt, ubi sc. judcium illud consummabitur, quod hic inchoatur.

TH. XXIV. Atq; hanc expositam hactenus & confirmatam sententiam orthodoxam de potestate judiciariâ SSæ, negant uno ore Pontificii. Primipilus ipsorum Bellarminus l. „3. d. V. D. c 9. Non ignorabat, inquit, Deus, multas in eccle-„siâ exorituras esse difficultates circa fidem; debuit igitur „judicem aliquem constituere. At iste judex non potest esse „Script. Sacra &c. Lorichius Jesuita in fortalitio hæres de „Script. Impossibile est, asserit, SSam ipsammet esse judicem „dubiorum de fide & religione Christianâ. Impudentissima

 vox

,, vox est. Matth. Bredenbachii l. de dissidiis ecclesiæ com-
,, ponendis, non scriptura est judex ecclesiæ, sed ecclesia &
,, judex & interpres Scripturæ. Similia habent Greg. de Valentiâ analys. fid. l. s. c. 2. Colloc. Bavarici in coll. Ratisbon. Alb. Pigghius de Hier. l. 1. c. 4. Andradius v. l. 2. def. fid. Trident. p. 102. non omnem potestatem judiciariam SSæ eripere vide-
,, tur, divinas literas præcipuos controversiarum judices esse
,, inquiens; & iterum: Scripturam S. controversiarum judicē
,, constituimus. Sed quod unâ manu largitus erat, altera surripit addens, ***non quidem quod omnia in ea necessaria contineantur, sed quia pro nefariis & sacrilegis illa habenda sunt, quæ ipsi quovis modo repugnant***; is n. judex supremus esse non potest, cui non de omnibus controversiis fidei judicium competit, ut supra observavimus.

Th. XXV. Calviniani equidem videri volunt se potestatem judiciariam SSæ sartam tectam conservare, quamobrē Chamierus Panstr. Cath. l. 1 c. 4. cum sententiam Lutheranorū orthodoxam in coll. Ratisbon. propositam recitasset, subdit;
,, quibus verbis tam libenter nos subscribimus, quam seriò
,, optamus in reliquis omnibus illos & nobis & veritati con-
,, sentire. Nihilominus has partes judiciarias in decidendis fidei controversiis derogant SSæ, dum negant multi ipsorum ex verbis institutionis controversias eucharistias esse decidendas & judicandas: quæ n. ratio unius articuli eadem re-
,, liquorum omnium. Consensus orthodoxus c. 7. fol. 161. ma-
,, nifestum esse verborum cœnæ abusum asserit, in probando
,, eo, quod ex verbis in quæstione l. in controversiâ est. Cal-
,, vinus ipse l. 4. Instit. c. 17. §. 23. Omnes qui verbis Christi sim-
,, pliciter insistunt vocat Syllabarum aucupes, perinde ut Pōtificii nos vocant Scripturarios & *Theologos atramentales*. Cōf. Witakerus de script. qu. 5. Martyr in dial. de Nat. hum. fol. 127. Joh. Politianus P. 3. Phil. Eucharist. c 4. Quid quod Dordracē-
,, ses apud Tectandrum §. 23. expresse scribunt: Scriptura nō
,, est idonea ut sit judex controversiarum.

TH. XXVI. Photiniani s. Sociniani verbis quidem ad

ſcripturam velut unicum judicem provocant, ſed reipsâ judiciariam autoritatem ſcripturæ derogant, dum in fidei articulis à literâ ſcripturæ propter abſurditatem in rationis judicium incurrentem diſcedunt: eo ipſo n. judicium rationis judicio Sp. S. in SSis præferũt. Audiatur Oſtorodus inſtit. c. 4. p. 30. Si ratio, inquit, clarè oſtendit, trinitatem perſonarum in Deo eſſe falſam; quomodo quæſo homini rationali in mentem venire poteſt, ut nihilominus illa poſſit eſſe vera & ex verbo Dei demonſtrari. Agmen claudant Arminiani, qui etſi à Papiſtis maximè alieni videri velint, SSam tn. non judicem ſed normam tantùm in controverſiis fidei eſſe volunt, ac porro vim coactivam ei derogant *Confeſſ. c. 1. §. 10. Apol. Conf. c. 1. p. 30.* Adde quod labefactent interpretationẽ autenticam SSæ, dum ſenſum literalem appellant, non tam eum, quem verba propriè ſumta præ ſe ferunt, quàm eum, qui licet verba rigidè accepta eum non inſinuent, tamẽ rectæ rationi convenientiſſimus eſt. *Confeſſ. c. 1. §. 16.*

TH. XXVII. Argumentis Pontificiorum jamdudum ſatisfecere Theologi: peculiariter Hunnius tract. de judice controverſiarum. Prolixus etiam eſt in iis refutandis Chamierus Panſtrat. Cathol. l. 1. & 2. & ex jam dictis nervum illis inciſum eſſe putamus. Id tn. non prætereundum quod urget Bellarminus & Tannerus in colloquio Ratisbon. ut bene ordinata ſit eccleſia requiri judicem aliquem viſibilẽ & infallibilem, Papam intelligentes. Sed non eſſe in eccleſiâ neceſſarium judicem ſummum & univerſalem in publica viſibili cathedrâ ſedentem ac prætoria ac infallibili autoritate præditum, probamus, quia Deus in SSa nullum aut judicii aut judicis talis mentionem facit, neque usqvã eſt aut reperiri poteſt hodie inter mortales aliquis autoritate illâ dictatoriâ & ἀνυπευθυνίᾳ inſtructus aut infallibilis judicii privilegio donatus. Judicium totius eccleſiæ infallibile eſſe, quoad objecta creditu neceſſaria, circa quæ tota eccleſia errare non poteſt Matth. 16. v. 18. 1. Tim. 3. v. 15. concedimus, ſed fruſtra Becanus Man. l. 1. c. 5. ex hac infallibilitate ad abſolutam in-

fallibilitatem Pontificis concludit, quā ex SSis nobis probare nequeunt Pontificii. Instat Bellarminus: absque quodam visibili summo & autentico judice non esse sperandum controversiarum finem. Sed respondet sibi ipsi l. 2. de Concil. „c.19. Non est mirum, si manet ecclesia sine remedio hu„mano efficaci, quandoquidem non nititur ejus salus præci„puè humanâ industriâ, sed divinâ protectione, cùm ejus „Rex sit Deus. Potest ac debet ecclesia supplicare, ac certū est, „DEO curæ fore ejus salutem. Cætera conflictui reservamus, dicentes pro gratiosâ συνδρομῇ Sp. Sancti

SOLI DEO GLORIAM.

AD CL.

DN. M. POLEMANNUM,

doctissimæ Disputationis doctissimum authorem.

JUliâ Te quondam celebris, POLEMANNE, fovebat,
Leucoris ast lauru cingit, amice, caput:
Præsidis & cathedram cedit plaudente Lyceo,
Atque sinu gnatum Te tenet alma suo.
Nunc Deus & chari revocant exinde Parentes,
Qui fueras animæ portio magna meæ.
Triste lupus stabulis, abitus mihi dulcis amici,
Quem sane haud ficto mentis amore colo.
En dum Theiologûm cathedram conscendis, & amplas
Ingenii dotes promis, amice, Tui:
Leucoris applaudit, tantùm indignatur id unum,
Quod mœstam cogis dicere triste Vale.
I pede felici: quævis tellus alit artes,
Doctaque mens pretio constat ubique suo.
Et patriæ proceres gaudent Te cive, parantq;
Pro virtute Tua præmia mille Tibi.

Contubernali & amico suo conjunctissimo ex tempore fundebat

M. AUGUSTUS Pfeiffer/Lingvarum Orient. Prof. Publicus Extraord. & Fac. Phil. Adj.